

quia tunc adhuc moraliter, vel quoad substantiam censemur perfici opus praescriptum. Quaenam autem sit pars minima, sumendum est *respective*, v. g. si requiratur rosarium, omissio unius *Pater et Ave*, censeri potest pars minima: si vero requirantur quinque *Pater et Ave*, omissio unius utpote quintae partis non censemur pars minima. Ita *Amort* l. c. q. 34.

Formula petendi indulgentias Romae a. S. Congregatione Indulgentiarum: *Beatissime Pater, Ecclesia Parochialis* (vel filialis, vel capella publica) *Sancti N. v. g. S. Petri, loci N. Dioecesis N.*, in qua aliae hucusque non fuerunt indulgentiae (vel si fuerint, additur: quam plenariae festo N.) supplicat humillime pro indulgentia plenaria ad septennium festo Sancti N. quo die in hoc loco maxima populi est devotio. Et Deus.

NB. Breve indulgentiarum Romae obtentarum, antequam promulgantur indulgentiae, prius debet ostendi Ordinario, a quo facultas conceditur eas promulgandi.

Elapso septennio, idem Breve Romanum debet transmitti una cum nova supplicatione pro concedendis indulgentiis iterum ad septennium.

#### CASUS II. De Jubilaeo.

*Melchior, postquam lucratus est Jubilaeum hujus anni 1751., incidit in peccatum summo Pontifici alias reservatum, a quo, ut absolvatur, statuit denuo lucrari Jubilaeum et in proxima confessione petit absolutionem a reservato.*

660. Q. I. Quid requiratur ad hoc, ut quis Jubilaeum lucretur? R. Suppositis iis, quae sunt dicta n. 647. specialiter requiritur: 1. ut opera in Bulla Pontificia praescripta tempore ibid. praefixo rite peragat; 2. ut sit in statu gratiae, saltem dum ponit ultimum opus: eo enim momento lucratur indulgentiam; alios vero favores, v. g. absolutionis aut commutationis votorum, quando accedit ad Confessarium animo lucrandi Jubilaeum.

661. Q. II. An quis saepius idem Jubilaeum possit lucrari, quoties scil. repetit opera injuncta? R. Negant id fieri posse *Sanch.* L. 4. c. 54., *Suar.*, *Laym.*, *Faustus* et alii. Affirmativam tamen probabiliorem censem *Viva de Jubil.* q. 6. a. ult. cum *Nav.*, *Lug.*, *Bossio* et aliis. Quia beneficium Principis, non praejudiciale alteri, ampliandum et late interpretandum est juxta Leg. *benef.* de constit. Princ.; ergo quoties non limitatur ad unam tantum vicem, sive semel expresse, potest quis indulgentiam indefinite concessam toties quoties lucrari. Ita etiam Benedictus XIV. in epistola circulari ad Poenitentiarios et Confessarios Romanos 3. Decembr. 1749. Romae publicata declaravit n. 84.: *Cum hac in parte non agatur de Jubilaeo duarum hebdomadum, sed de Jubilaeo integri anni, indulgentia hujus Jubilaei intra annum saepius obtineri potest, si praescripta pia opera saepius repeatantur. Sed aliae gratiae Jubilaeo annexae, si quis post primam lucrationem de novo incurrit censuram, vel casum reservatum, aut de novo opus habeat commutatione votorum, de novo obtineri non possunt.* Ita refertur ab *Amort* post disp. 7. de indulg. in Append. n. 40. Ex eadem circulari eruit sequentes declarationes. Ex n. 2. ad lucrandas indulgentias Jubilaei praesentis praeter confessionem requiritur etiam sacra communio ... non sufficit sola communio sacramentalis, quae sumitur in statu peccati mortalis, nec sola communio spiritualis consistens in desiderio fervido sumendi Eucharistiam, sed requiritur communio simul sacramentalis, et simul spiritualis. Ex n. 3. ad consequendas indulgentias hujus Jubilaei non sufficit actus contritionis cum confessione in voto, sed requiritur confessio actualis in re, et ex n. 77. et 78. tenentur etiam illi, qui habent solum peccata venialia. Vide dicta n. 651.

662. Q. III. An qui lucratus est jam Jubilaeum, sicut Melchior in nostro casu, et postea incidit in reservata, possit durante Jubilaeo adhuc absolviri a reservatis? Respondet *Viva de Jubil.* q. 2. a. 3. n. 3. cum *Leone* contra *Sanch.* et alios, probabiliter posse quemlibet absolviri intra tempus Jubilaei a reservatis post Jubilaei acquisitionem commissis. *Ratio* est, quia facultas ista in Jubilaeis concessa, cum respiciat favorem animarum, amplissime est interpretanda. Deinde si juxta probabilem, quilibet potest toties lucrari Jubilaeum, quoties implet opera injuncta, poterit et talis denuo opera implere, et gaudere privilegio absolutionis a reservato; maxime si in prima confessione hoc beneficio opus ei non fuerit. Vide tamen n. praeced.

663. Q. IV. Quid notandum sit circa visitationem Ecclesiarum, quando illa tempore Jubilaei praescribitur? R. Visitatio Ecclesiarum vel locorum piorum, aut processio est peragenda, prout Ordinarius conformiter Bullae Pontificiae ordinaverit. Debet esse *devota*, pie orando ad intentionem Papae in Bulla praescriptam. Sic in epist. circul. *Benedicti XIV.* nuper cit. num. 73. 74. 75. 76. declaravit, ut refertur ab *Amort*. l. c. num. 31. Quamvis Pontifex ardenter desideret, ut omnia opera pro lucrando Jubilaeo requisita fiant in statu gratiae, ac proinde, ut fiant post fructuosam confessionem vel contritionem, non tamen excludit a fructu indulgentiae eum, qui visitando Ecclesias se disponit ad reconciliationem cum Deo, et saltem ultimum opus peragit in statu gratiae: *Et visitationes Ecclesiarum fiant devote, hoc est, cum intentione ac voluntate honorandi Deum et sanctos, atque ut eundo ad Ecclesias, et intrando id fiat cum modestia, et ibi exerceatur aliquis actus Religionis: hinc non lucrantur Jubilaeum, qui eunt ad Ecclesias sine ullo bono fine, sed ex mera curiositate; et si tantum itur animo spatiandi, et multo magis illi, qui constituti in peccato mortali habent animum alios inducendi in peccatum.* Denique juxta communio rem qui semel omittit visitare Ecclesias, non lucratur Jubilaeum, quia sic non impletur conditio determinati numeri praefixarum a Pontifice visitationum Ecclesiarum. Nec quicquam hic juvat praesumpta voluntas Pontificis, aut ejus praesumpta benignitas; ab expresso enim ad tacitum non licet in his procedere. Ita *Leo* punct. 3. de *Jubil.* num. 114. contra *Bossium*. Nec licet Ecclesias visitare plures eodem die in ordine ad implendum numerum visitationum, quando expresse praescribitur, ut Ecclesiae visitentur per 15. vel 30 dies, quia sub his non simpliciter 15. aut 30. visitationes praescribuntur, sed determinate statuitur, ut visitationes fiant per 15. aut 30. dies. *Viva* l. c. q. 8. a. 5. contra *Pasqualigum*. Ibid. n. 7. ad quaestionem, an sufficiat oratio mentalis ad lucrandum Jubilaeum; respondet affirmative, quia haec est proprie dicta oratio, et eatenus potest judicari publica, quatenus tali tempore ad publicum Ecclesiae finem ordinatur. Quia tamen circa hanc variant AA., judicat *La Croix* l. 6. p. 2. num. 1421. tutius esse, miscere saltem vocalem. De oratione nuperrimi Jubilaei in epist. circul. saepe laudata *Benedict. XIV.* num. 83. declaravit, sufficere piam orationem vocalem, laudandum vero esse, qui orat mentaliter, dummodo etiam adjungat aliquam orationem vocalem. Denique in genere de oratione hic ait *La Croix* l. c. n. 1423., quod requiratur oratio in loco, et tempore, et ex intentione per Bullam designatis.

664. Q. V. Quid notandum sit circa jejunium, si illud exigatur in Bulla ad lucrandum Jubilaeum? R. Requiritur ecclesiasticum trium dierum in Bulla Praefixorum, scil. Mercurii, Veneris, et Sabbati et quidem intra eamdem septimanam, ut longe probabilius cum communi defendit *Lugo* d. 27. n. 105. contra *Laym.*, et *Bonac.* Dixi ecclesiasticum, scil. pro consuetudine patriae: hinc ubi licet vesci lacticiis et ovis, etiam licebit tempore Jubi-

laei, nisi id expresse prohibeatur in Bulla. Praeterea jejunium, si prescribatur, servandum est ab omnibus lucraturis Jubilaeum, etiam a pueris, infirmis, et laborantibus, et alias dispensatis, nisi id Confessarius commutet. Ita *Laym.* l. c. cap. 8. n. 12.

665. Q. VI. Quid observandum circa eleemosynam, si exigatur a Bulla? R. 1. Danda est ab omnibus, qui Jubilaeum lucrari volunt, et quidem juxta *Navar.*, *Regin.*, et *Alloza*, secundum cujusque facultatem; juxta *Dian.* vero et *Rodrig.* sufficit etiam modica, si Bulla nihil determinet. 2. Probabilius pauperes etiam ad eam tenentur, aut debent petere commutationem, quia nemo tam pauper est, qui dare non possit obolum vel nummum, aut ab alio petere, quem ipse postea elargiatur. *Viva* l. c. a. 6. contra *Faustum*. 3. Haec eleemosyna secundum commun. debet esse corporalis, sive aliquod opus ex 7. operibus misericordiae corporalis; hinc nomine eleemosynae etiam venit, domi excipere pauperem etc. Ita *La Croix* l. c. n. 1426. cum *S. Thom.* 2. 2. q. 32. *Excipe*, nisi expresse aliud in Bulla exprimeretur.

666. Q. VII. Quid notandum sit circa facultatem absolvendi tempore Jubilaei? R. 1. Conceditur potestas absolvendi a reservatis, per quae intelliguntur casus Papales, et Episcopales: *excipe* casus Bullae Coenae, qui si non exprimantur in Bulla, etiam non datur facultas ab iis absolvendi; quia specialiter reservata specialiter exprimi debent. *Jansen.* p. 2. cas. 102. n. 6. Vide *Viva* l. c. q. 11. a. 1. An vero concedatur facultas absolvendi ab haeresi, dum conceditur in Bulla facultas a reservatis in Bulla Coenae, controvèrtitur ab AA. Affirmativam tenent *Sotus*, *Corduba*, *Regin.*, *Fagundez*, *Gobat* et ali, saltem pro foro conscientiae. Contrariam ut communiorem et tenendam defendit *Viva* l. c. cum *Suar.*, *Vasq.*, *Palao* et aliis, eoquod *Sixtus V.* anno 1589. et *Clemens VIII.* 1594, cum concessissent facultatem absolvendi a casibus Bullae Coenae, concesserint in specie etiam potestatem absolvendi ab haeresi; ergo non videtur in generali concessione illa facultas includi. *Confirm.* 2. ex cit. epist. circulari *Benedicti XIV.* ad poenitentiarios minores, ubi §. 2. n. 38. de data hoc tempore Jubilaei poenitentiariis Romae auctoritate absolvendi a censuris etiam reservatis in Bulla Coenae et ab omnibus peccatis, expresse innuit: *Non intelligitur unquam concessa auctoritas absolvendi ab haeresi externa, tametsi verba induiti universalia sint aut universalissima, si haeresis illa expresse et in individuo nominata non sit.*

667. R. 2. Praeterea conceditur facultas absolvendi in foro conscientiae ab excommunicatione, suspensione, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, non item ab irregularitate ex delicto, ut defendit *Viva* l. c. q. 10. a. 1. contra *Bossium*, *Henrig.* et alios; quia ordinarie in Bulla Jubilaei expresse dicitur, quod nemini licet super ulla irregularitate dispensare: ergo cum Bulla non distinguat inter irregularitatem ex delicto, et ex defectu, nec nobis licet ita distinguere. Adde, quod juxta communiorem irregularitas ex delicto proprie non sit censura; censura enim tollitur per absolutiōnem, seu per actum judiciale, irregularitas vero per dispensationem. Praeterea *notandum*, quod poenitens, antequam absolvatur a censura, prius debet satisfacere parti laesae. Vide *Viva* l. c. q. 10. a. 2.

668. Q. VIII. Quid notandum sit circa commutationem votorum? R. In Jubilaeis non censetur concessa facultas commutandi vota, vel in iis dispensandi, nisi illa facultas exprimatur in Bulla. Ita declaravit *Benedict.* XIV. in cit. epist. circulari n. 47. Ibid. innuit, quod *commutare vota dispensando* idem sit, ac materiam operis pii, in quod votum commutatur, et quod in sola commutatione deberet esse majus vel aequale voto, possit aliquantis per recedere ab aequalitate cum voto. Ac proinde Confessarii bene

attendant, an et qualis concedatur in Bulla facultas circa commutationem votorum; dispensandi enim potestas ordinarie non solet concedi. Pro praxi vota commutandi statuit *Lohner*: 1. Attendendum esse ad circumstantias. 2. Materiam subrogatam non debere necessario proportionari materiae promissae quoad magnitudinem, durationem et numerum; sed sufficere, si sit aequalis officii divini, vel certe non notabiliter minoris. 3. Spectandum esse finem, et fragilitatem voventis. Sic votum non nubendi mutari potest in confessionem et communionem menstruam quamdiu erit in matrimonio, una cum alio pio opere, v. g. eleemosyna aliquot septimanis distribuenda, vel certis precibus persolvendis. Plura vide de commutat. vot. P. I.

669. Q. IX. An dictae facultates exerceri possint extra confessionem sacramentalem? Ad hanc quaest. *Bened.* XIV. in laudata epist circul. n. 63. postquam variorum AA. sententias erudite examinavit, ita pro nostro Jubilaeo respondit: *Nos vero ad tollendam e medio omnem ambiguitatem in instructionibus adjunximus, a poenitentiariis dari non posse absolutiones, commutations, et dispensationes quascumque extra actum sacramentalis confessionis; hoc quippe nobis visum est debitum et proportionatum gravitati materiae, et qualitati ministerii, conducens ad rescindendam omnem litem, ac pariter conforme praxi nostrae poenitentiariae.*

#### ARTICULUS IV. De absolutione, et ministro poenitentiae.

##### §. I. Praenotanda.

670. Praenot. I. Forma Sacramenti poenitentiae sunt verba, quae Sacerdos administrando hoc Sacramentum profert: de his *Trid.* sess. 14. cap. 3. ita innuit: *Docet praeterea S. Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc., quibus quidem de Ecclesiae S. more preces quae-dam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae.* Unde in *Theol. Schol.* graves AA. cum *S. Thom.* p. 3. q. 84. a. 3. cum *S. Antonino* et aliis docent, essentiam formae consistere in solis verbis: *Absolvo te; tum quia Flōrent.* et *Trid.* ea sola exprimunt, tum quia haec se solis exprimunt personam judicis, personam rei, ejusque absolutionem, et circumstantia personae confitentis peccata sua satis determinat et significat, absolutionem cadere super peccata illius. Alii cum *Paludano*, *Soto* etc. docent, ad essentiam pertinere haec verba: *Absolvo te a peccatis:* tum quia Christus *Joan.* 20. instituens hoc Sacramentum expressam fecit mentionem peccatorum: *Quorum remiseritis peccata etc.;* tum quia *Flor.* et *Trid.* ad *absolvo te apponunt rō etc.*, tum quia verba, *absolvo te* sunt indifferentia ad absolutionem a peccatis, et censuris: ergo ut determinate significant absolutionem a peccatis, debent determinari per haec: *a peccatis tuis;* quae sententia cum sit tutior, in praxi est praferenda; agitur enim de valore Sacramenti. Plura vide in *Theol. Schol.* Nobis incumbit investigare, quomodo in praxi danda sit absolutio, quae est remissio peccatorum poenitentis facta a Sacerdote vi clavium, non autem pura declaratio peccatorum remissorum, ut constat ex *Trid.* sess. 14. can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tan-tum credat se esse absolutum, ... anathema sit.* Unde porro colliges, hanc formam non esse deprecatorium, cum sit verus actus judicialis. Sensus autem illius, quem verba de se important, est: *Ego te sententia judiciali loco Dei a peccatis tuis absolvo.* Juxta alios idem sonant, ac: *confero tibi*